

VERS. 2. Πρὸς τὴν θύραν τῆς ἱερᾶς τῆς λεγομένης  
ὠραίας.

In bivio hîc stamus, quoad determinationem hujus portæ, secundum bifidam significationem vocis ὠραίας. Si in significatione suâ aliquid relationis habet ad ὄρα. *Tempus* (quod quis non dixerit?) tùm portam respiceremus vocatam הבולדב *Hbuldab*, forsan sic dictum ab הבלדב *Hbeledb* *Tempus* vel *Ævum*. Hujus nominis erant duæ portæ à latere Atrii Gentium Australi, sub porticu istâ nobilissimâ nuncupata *Βασιλική*. *Middoth*, cap. i. hal. 3. Per quas via ducebat ab ipsâ Hierosolyma vel Acra in Templum.

Si verò ὠραίας denotet præcisè *Speciosam*, ut vulgò redditur, tùm respiceremus Portam Orientalem Atrii mulierum: quæ quamvis ærea tantùm fuerit, splendore tamen & coruscantiâ reliquas portas argenteas aut aureas exsuperavit.

*Jos. de excid. lib. 5. cap. 14. Portarum quidem novem erant auro & argento obductæ. — Una autem extra Templum, de ære Corinthiaco, longè & auratas & argenteas antecellebat.*

Difficultatem an augeat an tollat illud quod dicitur vers. ii. judicet lector. *Cum autem claudus qui sanatus est, teneret Petrum & Johannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum Salomonis.* Unde oritur hic scrupulus, An Petrus & Johannes, & claudus, in atrium gentium tantùm jam introierint, an ex atrio mulierum in illud jam redierant? Si prius, tùm jacuit claudus ad portam aliquam Atrii gentium ὠραίας dictam, quam portam *Hbuldam* concipias. Si posterius, tùm ad portam istam Corinthiacam.

VERS. 4. βλέψον εἰς ἡμᾶς.

5. ὁ ὃ ἐπέιχεν αὐτοῖς.

Hierosolymitanè forsan diceretur הן חמי לן חמי.

*Hieros. Chetubb. fol. 35, 1. Die quodam venit Elias ad R. Judam dentibus dolentem, & dixit ei הן חמי Respice me. הן חמי & respexit eum. Atque ille tactis dentibus sanavit egrum.*

VERS.